et rebelles per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, invocato etiam
ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, compescendo. Et
illos qui premissorum occasione censuras aliquas incurrissent ad eorum obe-
dientiam redeuntes, ab illis iniuncta penitentia salutari, et aliis que de iure
iniungenda in forma ecclesie consueta absolvendi, et super irregularita-
te divinis se immiscendo contracta dispensandi eadem auctoritate concedimus
facultatem, et presentibus litteris nullatenus censeri esse derogatum nisi
illarum de verbo ad verbum inserto tenore, non autem per clausulas huiusmodi
intentionem importantes contigerit derogari, nec non irritum et inane
quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoran-
ter contigerit attemptari, prelibata auctoritate decernimus, Non obstantibus
constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non statutis et consuetu-
dinibus congregationum et ordinis predictorum, etiam apostolica auctoritate, vel quavis
alia firmitate roboratis contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter
vel divisim a sede predicta indultum esset, quod interdici, suspendi, vel ex-
communicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et
expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo
omnino hominum liceat hanc paginam nostre extensionis, constitutionis, conces-
sionis, statuti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temera-
rio contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem
omnipotentis dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit
incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum, Anno incarnationis
dominice, Millesimo quatringentesimo octuagesimo septimo,
decimo septimo kal. decembris, Pontificatus nostri anno 4.

Quod recedentes ad obedientiam congregationis possunt absolvi.